

6

8.

ORATIO

JURIDICA

DE

GERMANORUM EXTERIS MILITAN- DI LIBERTATE,

EJUSDEMQUE SPLENDORE

QUAM

AMPLISSIMA FACULTATE

JURIDICA CONSENTIENTE

ANNUENTE DIVINI NUMINIS


GRATIA

PERORANDO PROPOSITURUS EST,

JOHANNES BUNSOW,

JURIS UTR. LICENTIATUS.

ANNO MDCCXIII. DIE



ROSTOCHI, Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC.
ET UNIV. Typogr.

Jus publ. Germ.

D. 410,12

E. 60.

OPERA

JURIDICA

GERMANNI

EXTERIORIS

DI

FRANCOFURTI

APPRESENTATA

JURIDICA

CONFERENTIA

1772

JOHANNES

FRANCOFURTI

1772

OPERA

JURIDICA

CONFERENTIA

FRANCOFURTI

1772

OPERA

JURIDICA

CONFERENTIA

FRANCOFURTI

1772

I. N. D. N. J. C.

Magnifice Dn: Academiae RE-
CTOR, & qui vel Reipublicae,
vel Academiae, vel Ecclesiis,
praestis, Viri Per-Illustres, Ge-
nerosissimi, Praenobilissimi, Sum-
me Reverendi, Excellentissimi,
Experientissimi, Consultissimi,
Plurimum Reverendi, Clarissimi,
Doctissimi, Dn. Fautores, &
Amici, Tuq; Generosa, Nobilissi-
ma atq; Lectissima Studiosorum,
Corona, Auditores O. O. Ho-
noratissimi.



Em ipsam voce Li-
bertate significatam ostendere
intendenti, de ejusdem natura
inquirenda, necesse est, ut sit
sollicitus. Est igitur Liberta-
tis hujus natura in eo, ut quis
libere i.e. sua sponte, sine supe-
rioris Authoritate & Juris so-
lennitate ad externos Reges honoris & gloriae causa in
utilitatem publicam militatum abeat. Et hinc a
Linkero in Dissertatione de his, quae Statuum Impe-
rii, libertati perperam accensentur. Sect. 1. §. 2. defi-
nita

A

nita

nita extat; quod sit facultas eximia; quæ Statibus Imperii, alio, quam Territorii respectu ex usu immemoriali introducta, Imperiiqve Constitutionibus firmata competit, juribus definitis constans, iisque adeò sublimibus, ut per ea similitudinem quandam supremæ eminentiæ & potestatis habeat. Ast non tantum Statibus Imperii, sed omnibus omninò Germaniæ civibus ac Incolis exceptis tamen propriis hominibus hanc libertatem competere, neque per Imperatoris dissensum limitationem, nisi contra seipsum & Imperium, recipere, non est, qui dubitat; Omne enim dubium removet maximus, qui exinde toti Nationi non modo conciliatur honor, sed etiam quatenus Germaniæ laudi vertitur, quod famam & gloriâ suæ Nationis factis bellicosis, id quod Virtutis opus est, extendere intendat, ex quibus, de Fortitudine, Magnanimitate, Constantia, Tolerantiâ, & aliis laude dignis virtutibus exteris Nationibus constare possit. Uti enim nulla sine splendore se exserit virtus ita prædictis virtutibus, libertas se exserendi deesse nequit, sed summo cum splendore omnibus & singulis commendanda & concedenda est, præcipuè ubi in utilitatem publicam per facta bellicosa intenditur, uti ex sequentibus Luce meridianâ clarius patebit. Quis ea propter non cum Valerio apud Livium Lib. III. fatetur, ex legibus scriptis vel non scriptis, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa latæ sunt & introductæ, nullam abrogari, nisi quam aut usus coarguit aut Status aliquis Reipublicæ inutili fecit? Id quod hoc quoque in casu neque

que factum; neque fieri potuit; cum nemini ad virtutis & fortitudinis edenda specimina, reditusque ad sustinendam dignitatem augendi via præcludi, sed potius patere debeat imprimis nobili atque illustri loco natis, quorum proprium est de honore ac gloriâ certare, eoque nomine vitam contemnere; Hinc igitur quid mirum, quod Principes & alii Imperii nostri Romano-Germanici status, quotidiana experientia teste, disciplinæ militaris gloriam quam maxime profiteantur? cum & hæc Nationis Germanicæ exteris Regibus militandi libertas cum ipso Germanorum genere prodiisse iudicetur à Nicolao Mylero ab Ehrenbach Jcto celeberrimo de Libertate Germanici Imperii Statuum Cap. 2. § 2. Germaniq; à Gerra, qua voce bellum significatur, dici mereantur viri bellaces, teste Lipsio ad Corneli Tacit. Germ. Folio ni fallor. 547. eaq; præter libertas hæc honestatem sibi habeat conjunctam; Unde, quis veram, quam semper complectitur, utilitatem, ex illa libertate procedere negaret, non video; Nonne Germanos longa experientia rei militaris facit peritos? Nonne aciem adornare discunt? Nonne exterorum Populorum stratagemata observando sic se peritos ostendere assuescunt, ut illa in bello contra se & Patriam ab illis suscepto præcavere sciant? Et cui non denique ex historicis patet virtutum supra nominatarum, fortitudinis scil. magnanimitatis, constantiæ, tolerantia, quæ de Germanis militibus summa cum laude prædicantur, quarum quoque respectu libertas hæc Germanicæ Nationi contigisse

legitur, effectus seu operationes, exteris quæ Regibus ac populis metum incusserunt, ut non facile contra Imperium Romanum quid attentare fuerint ausi? Testatur hoc quoque Quirinus Cubach in discursu 20. apud Arumæum *vol. 4.* nec non quod in proverbium passim propter evidentem veri experientiam per exterorum populorum ora de Germanis circumfertur. **Wer im Krig will Unglück han / Der fang es mit den Teutschen an:** quæ de opinione latius videri potest Ludovicus Willichius in Cornel. Tacit. *Germ. fo. ni fallor. 597.* Uno itaque ore, quod passim propter evidentem veri experientiam extat confirmatum quis in dubium revocaret? Nisi enim verum fuisset perpetuò non durasset: Unde quod in communi omnium opinione est, præsumitur esse verum non vanum secundum Ulpinianum *in l. 1. §. 1. ff. de flumin.* Hinc porrò non video, quid subesse intelligatur, quamobrem quis admiretur. Imperatorem Maximilian. II. honestissimam hanc respicientem utilitatem, consuetudinem illam ab omni antiquitate observatam non solum approbasse, sed etiam ad tenaciter porrò servandum commendasse per claram suam attestationem in Comitibus non tantum *Spirensibus anno 1570. habitis in §. 5.* haben wir uns mit ihnen erinnert/ wie es im Hl. Römisch. Reich / Teutscher Nation/ vor alters her eine löbliche Gestalt Teutscher Freiheit umb Ehr und Ruhm mit Ritterlichen Thaten fremden Potentaten zu dienen gehabt. Nec non §. 2. Ibi verumòge der Teutschen hergebrachten libertät und Freyheit/ in der Fuß Knecht Bestallung: Sed & in Recess. Imp.

❁ (r) ❁

Imp. zu Regensburg de anno 1576. §. 50. & 51. ubi prædicti duo paragraphi, leguntur renovati; nec non in Recest. zu Augsburg de anno 1532. §. Ferner / obwohl im Heil. Römischen Reich 31. ubi ad verbum, reperiuntur repetiti.

Salvam quoque ac illibatam exteris Nationibus militandi libertatem Germanis relinquit instrumentum pacis Cæsareo-Gallicum. §. 3. *in fine hisce formalibus. Singulis tamen statibus liberum sit huic vel illi Regno extra Imperii limites suppetias ferre non tamen aliter quam secundum Imperii Constitutiones.* Ast non singulis tantum statibus, ut supra jam monui, sed præterea toti Nationi Germanicæ hanc apud exteros Reges militandi libertatem semper fuisse laudabilem expressa decreti testantur verba §. 5. *Recest. de anno 1570. Ibi. Wie es im Heil. Römischen Reich / Teutscher Nation; item Eine löbliche Gestalt Teutscher Freyheit; ut sic non intelligantur exclusi cives ac incolæ, cujuscunque dignitatis sint & conditionis exceptis tamen propriis hominibus; Quodcunque enim toti nationi ceu toti universali competit, id singulis quoque ejusdem partibus, & sic consequenter civibus & incolis, qui totius Nationis partem constituunt, competere urgenter suadet causæ favorabilitas, utilitas scil. publica honestati, ne scil. cui ad virtutem via præcludatur, sed potius omnibus ac singulis pateat, conjuncta, nisi toti universali propriè quid competit, uti, si quid universitati debetur, singulis non debetur, nec quod debet universitas, singuli debent; vel nisi Principum ac Civitatum statuta eorundem consensum requirunt,* quo in casu incio ac invito Magistratu loci ad exte-

ras Nationes militatum abire vel apud externos Capitaneos in Imperio milites conscribentes nomen suum Nobilibus, Landsassis, Civibus, ac subditis, profiteri non est liberum; Appanagiatis citra territorii respectum liberum esse apud externos militando stipendia merere ac nomen suum iisdem milites in Imperio colligentibus dare, modo non fiat contra Imperium ejusdemque constitutiones, quis non assereret cum Dno. D. Suedero in Introductione ad jus publicum *part. Special. Sect. II. c. 17. §. 19.* nec non aliis, qui id ipsum multis etiam recentioribus exemplis illustratum ad consuetudinem illam vetustissimam de qua testantur, commendandam tenaciterque servandam, adduxerunt? Principibus Regentibus quin libertas illa competat non est qui dubitat; de Electoribus verò Johannes Richardus Malcomesius in Commentario ad Wesenbecium *tit. de re militari §. 16.* rationem quandam dubitandi quidem movet ab eminentia dignitatis sumtam, quam statuit non admittere illam exteris militandi libertatem, cum salva id eminentiori dignitate non videatur posse fieri. Sed constitutiones Imperii supra allegatæ non distinguunt, neque dignitatis eminentia exceptionem inducit, ut ea propter ab exterorum militia arceantur, sed libertas illa potius Salva & Integra iisdem relinquitur per expressam Imperatoris Maximiliani II. attestationem hisce formalibus; **Haben wir uns mit ihnen/nemlich denen Reichs Ständen / erinnert/** quæ verba generaliter sunt accipienda de omnibus ac singulis Imperii statibus nemine excluso: Et si in Electoribus obtineret, ut eminentioris dignitatis præ:

prætextus ab hâc libertate eosdem excluderet, & sic ab extraneâ militiâ arceret, eadem quoque ratio atq̃ tendenda foret in Principibus regentibus contra expressa Constitutionum Imperii verba, à quorum tamen propriâ significatione sine legitimâ causâ non esse recedendum *Lex 1. §. sed si sciente ff. de exercitoria act.* graviter monet, à scripto enim si passim permetteretur recedere, quis existimaret id, quod scripserit, ratum futurum esse? Quis in Judiciis certum, quod sequeretur, haberet monente Cicerone *in libro de Invention?* Nonne & præterea propius ad scriptoris voluntatem accedit, qui ex ipsius eam literis colligit, quam qui sententiam scriptoris non ex ipsius scripto, sed ex adventitiis perscrutatur suspicionibus? An potest videri quis dixisse id, cuius non suo nomine usus est? Et quamvis prior ac potior inens sit, quam vox dicentis, an tamen sine voce contra *Leg. Labeo ait. §. fin. ff. de suppellect. Legat.* dixisse intelligatur? Imprimis ubi præterea neque ingenium, neque opera, neque facultas ulla scribenti defuit, quominus potuisset scribere id, quod cogitaret, vel excipere id, quod forte excipiendum esse putasset. Quis igitur hanc Germanorum libertatem per se consideratam excipiendo vel restringendo ratione subjecti infringeret, ubi Lex seu Constitutio Imperii non excipit aut distinguit, Legisque sententia est, ut verborum seriem non excedamus? Puto tamen hæc quoad modum utendi hac libertate moderatio nem non ex dispositione legis, sed ex libera Electorum ac Principum regentium voluntate recipere, si nimirum propriarum provinciarum Regimen valde oneratum, non sine diminutione s. damno utilitatis

tatis

tatis publicæ propter Electoris vel Principis absentiam omitteretur; vel præterea ex fœdere summum in exteri Regis Exercitum sustineat Imperium, cuius non unum sed plura, non præsens modo, sed præteritum etiam seculum vidit exempla; Ast hoc in casu non ut Centurio vel Tribunus vel Dux quis alteri militat, sed velut Princeps aut Status alteri fert suppetias: Aliud enim esse fœderatum, aliud Ministrum, aliud subsidia, aliud stipendia accipere, juri feudali non inconvenienter tradit Cæsar. Furstnerus de suprematu *d. c. 21. pag. ni fallor 300.* Et sic solus Imperator & Rex Romanus excipiuntur, summæ quorum dignitati non convenit alterius Imperio Militari se subicere: Hinc Imperator Adolphus Nassovius per contemptum stipendiarius Angliæ vocabatur, quod pecuniâ acceptâ pro Henricô Angliæ Rege contra Franciæ Regem, licet ex fœdere, armâ gesserit, & cum suis dimicaverit; negligere enim reputabatur vigilantia suæ commissum Imperium contra datam in capitulatione fidem. Exercitum verò tantâ Majestâte dignum Socii Régis causâ educere; Imperiumque in Castris summum sustinere, non video, quin potius virtuti, quam vitio Imperatori vertatur, cum dignitati ejus non adversetur, similia quoque exempla præsens non modo videat ætas, sed longo etiam retrò tempore ab Imperatoribus idem factum esse testatur Hornerus in dissertatione sua de Germanorum apud Ex-teros militandi Libertate §. 17.

Porro Nobiles quoq; tam immediatos, quam mediatos, item quosvis Imperii Cives & Incolas, *Eingesessene* / adhuc hodie hâc libertate laudabiliter frui,

frui, attestatur Leopoldi, Capitulatio *art. 16.* nec non *Josephi articul. 15.* nisi forsan ordinum Imperii constitutionibus provincialibus libertas hæc reperiatur coarctata, veluti id Hornerus in d. dissertatione §. 20. exemplis illustratum exhibet: Id quod tamen in alia dissertatione de desertoribus civitatum eorumque pæna, in civibus, qui civitatem mutarunt, non obtinere recte statuit. Incolæ enim & Cives Germaniæ à Patria liberam recedendi facultatem habent, adeò ut ulterius ratione originis eidem nullo modo maneant obstricti, neque jus sit Imperio eos revocandi. (id quod de jure Romano secus erat:) Hinc in Germaniâ diutius quis civis non est, quam ibidem domicilium vel animum patriam servandi habet, secundum Recess. Imperii *de Anno 1555. § 5. & 16.* nec non per ea, quæ habet *Gailius L. 2. observ. 36. n. 7.*

Homines vero proprios quis non intelligeret exclusos? utpote quibus sine Domini consensu emigrare non conceditur, & qui similes esse reputantur Glebæ adscriptis de quibus videatur *L. 6. Cod. qui militare non possunt. L. 3. Cod. Qui militare possunt. L. 4. Cod. de municip: & Colon. L. 7. de Agricol.* Hinc quamvis facultas hæc toti Nationi Germanicæ per Constitutiones Imperii concessa sit, ut nemo, cujuscunque conditionis sit intelligatur exclusus, veluti statuit *Beat. Mylerus ab Ehrenbach. in tractatu suo de Stratologia Germanici Imperii statuum. Cap. 14. §. 12.* Ex æquo tamen & bono universalem pronunciationem intelligi ac determinari oportet secundum qualitatem personarum, rerum & temporis, ut scil. nunquam latius porrigatur quam juris & æquitatis ratio admittit, *L. in provincial. §. fin. ff. de Nov. Oper. nunciat.* ubi quamvis, si in publico aliquid fiat, omnes cives opus novum nunciare possint, non tamen *mulier. L. mulieri ff. de popularibus*

laribus actionibus dixi quoad libertatem hanc pro primo respiciendam esse qualitatem personarum, ut nimirum personæ sint liberæ & sui juris. Hinc quamvis proprii homines sibi acquirere possint ac liberam de acquisitis disponendi, & consequenter testamentum condendi facultatem habeant, ut exinde liberi censeantur, tamen quatenus ratione glebæ & servitiorum eo nomine domino præstandorum considerantur, eatenus servi sunt ac domino acquirunt, ut sic sua sponte ac invito domino ad externos Reges militandi causâ abire nequeant. Pro 2do dixi, quod rei s. causæ qualitas sit attendenda, ne scilicet contra Imperatorem ipsum & Imperium vel aliquem Imperii statum Exterorum militiam petant vel sequantur: hi enim casus ipso jure excepti sunt & gravissimâ sub pœna in Constitutionibus Imperii, leguntur prohibiti. Dixi pro 3tio, temporis quoque rationem esse habendam, & sic Principes ac Status Imperatorem cum Exteris bellum habentem & Imperium ceu patriam totis viribus tueri, imo sibi invicem mutuam ad assistentiam juxta ordinationem executionis tenentur, *secundum Recess. Imper. de Anno 1521, §. 34. & Recess. Imper. de Anno 1576. §. 3u demselben. It Recess. Imper. de Anno 1530. §. 103.* Vasallus enim domino præcipuè obligatus est operam militarem pro Imperii incolumitate præstare propter feuda, origine sua & usu quæ sunt beneficia militaria: unde tempore belli, quod cum exteris nationibus habet, Imperatorem & Imperium Principes ac status in defensione ac acie derelinquere & exterorum militiam sequi non possunt, nisi feudo privari velint.

Et hæc Germanicæ nationis ab omni antiquitate observata libertas, legibus Imperii fundamentalibus adeo legitur firmata, ut Germanis gravissimâ sub pœna ab Imperatore & Statibus Imperii bonam ac fortem militiam

am

am apud exteros militare fuerit injunctum In der Fußknecht
 bestellung de Anno 1570. in Cap. extraordin: §. zum vierten
 da ein Obrister. Si itaque Libertas illa Germanorum
 ex immemoriali usu introducta prædictum in effectum fir-
 mata extat, neque ob naturalem rationem s. æquitatem,
 quâ major subesse non intelligitur alia humana consti-
 tutione abrogari potuit, sed præsens adhuc politia, quâ
 semper, ne mutationes turbent Rempublicam, expedit
 uti, illam pro lege observat nulla subesse videtur necessi-
 tas requirendi consensum & præscientiam Imperatoris &
 imperii, si vel Princeps vel Nobilis vel Civis vel Incola
 apud exteros militatum abire velit; nam & antiquitus
 probata & tenaciter servata consuetudo, præsertim uni-
 versalis non minorem, quam Lex ipsa, vim habet. L. 33.
 ff. de legib. imo in effectum ipsa Lex est, & legem vincit
 per L. Imperatores. 13. in fine ff. de pollicitationibus it. text.
 in L. sed & ea 35. ff. de LL. quatenus quoad interpreta-
 tionem, omnium rerum & maxime verborum dici me-
 retur Domina arg. L. semper in stipul: 34. ff. de R. J., quæ fa-
 cit filere leges, per ea quæ habet beat. Miler. ab Ehren-
 bach. in tractat suo de libertate militandi Germanorum
 & inprimis Ordinum Imperii; apud exteros cap. 3. §. 4.
 nec. non quæ habent ab illo allegati Authores. Nonne igi-
 tur uti ea, quæ legibus fieri præcipiuntur, non requirunt
 Principis vel alicujus tertii præscientiam & consensum,
 ita quoq; vigore consuetudinis quæ fieri possunt sua spon-
 te a quolibet absque autoritate Superioris & sine juris
 solennitate valide suscipiuntur? Nonne consuetudo in loco
 ubi viget, secundum Baldum in Leg. Constitutionis in fin.
 Cod. de bonis quæ liberis; nec non Decium in Consil: 686. di-
 citur jus commune. & quæcunq; jure communi conce-
 duntur an adhuc de novo precibus sunt efflagitanda? impri-
 mis

mis quæ ob honestam utilitatem ab Ipso Imperatore &
 Imp. rii Statibus adservanda probando commendantur.
 Nonne Verba jus Libertatis id ipsum involvunt ut ab omni
 requirendi consensus onere & diminutione jus hoc liberta-
 tis exemptum velint per *L. penult. ff. de Eviction. L. qui uti. L.*
169. ff. de verb. Signif.? & quæ denique Natio Germanica
 Natione tenacius hanc exteris militandi libertatem teste
 Tacito de moribus Germanorum servavit? Nonne vi-
 tam magis, quam libertatem periclitari semper voluisse
 Germani leguntur? ut etiam digni fuerint reputati, qui
 eo nomine sublimiter commendentur. Nonne, tenaciter
 quam servasse leguntur libertatem. virtutes supra lauda-
 tæ fortitudo scil. Magnanimitas Constantia & Tolerantia in
 magnū Reipubl. emolumentum tanto cum splendore com-
 mendant, ut digna eo nomine censeatur, cui vita postpo-
 natur? digna, cujus jura Imperantes non privilegiis, quæ
 liberam & spontaneam eorundem beneficentiam arguunt
 concedere voluerint, sed quæ præter superioritatem terri-
 torialem quasi sub facie quâdam independentiæ, quatenus
 hujus Libertatis jura propriæ acquisite Statuum faculta-
 tes attraxisse videri possunt, communiter fuerint adepti!
 digna, ex Imperii genio quæ procedens in Cæsaris permis-
 sione vel concessione terminetur, ubi ex adverso privile-
 gium ad Personam Cæsaris ejusq; benignam voluntatem
 licet Imperii nomine declaratam refertur! digna, quæ
 tanto cum splendore legibus fundamentalibus probetur
 ac firmetur ut indicium Majestatis, quam tamen non ha-
 bet, in Statu præbere possit! digna, cui perpetua propter
 singularem ac Regno insolitam quæ præ se fert præroga-
 tivam facultas adscribatur! Digna, quæ adeò confirmati-
 one non indigeat, ut majorem ex eâ per plures successo-
 res

res iteratâ vim accipiat, in quo & hæc libertas á privilegio differt, quod securius Imperanti, per electionem in Regno maxime libero succedenti, ad confirmandum offertur, ut vim majorem ex confirmatione accipiat! digna, totius quæ sit nationis, ut Imperatoriam Majestatem exinde respiciat qua conservantem, nec repugnantem, ut tamen salvam illam ac immutatam relinquat, & obsequium illæsum fervet! digna, quæ supremæ eminentiæ ac potestatis, quamvis non veritatem, similitudinem tamen, propter sublimia, quæ importat, jura habet, quæ constitutionibus Imperii, ne tamen nullo jure Germani agere videantur, ita firmata extant, ut ad modum perpetuæ concessionis effectum ac vim legis & pragmaticæ sanctionis habeant; id quod Aurea Bulla, Recessus Imperii, Capitulationes Imperatorum, Instrumentum pacis Osnabrugense & aliæ juris publici partes volunt.

Hinc quamvis ex usu longævo, præter territorialem superioritatem hæc libertatis jura Status Imperii cum facie quadam Independentiæ, cujus respectu merito eximia dicatur facultas, cõmuniter obtinuerint; tamen illa beneficio Imperatoris & Imperii se debere, nec ex semetipsis acquisivisse, submisse fateri, quam Imperatoriam Majestatem per divisionem lædere malunt. Non obstat, quod Majestas more majorum salva scil. libertate, quâ Natio Germanica ab omni antiquitate frui consuevit, Imperatori fuerit delata, quibus verbis exemta videri potest libertas hæc ab omni subjectione ejusdemq; onere, Respondemus enim cum Lynkero *sect. 1. de natura hujus libertatis* quod omnem ac totam majestatem Status Imperii Cæsari detulerint, isque dehinc jura recepta & libertatem Statibus illæsa ac salva Majestate debitam, tum & Legibus subjectam vicissim reliquerit & firmaverit, ut eandem non aliunde

quam à Cæsare & Imperio recognoscant, & eximia hæc libertas dicenda videatur non ratione Majestatis, quam non habet, sed ratione similitudinis, quam propter sublimia, quæ importat jura, habere videtur. Ex his verò & præcedentibus quis non intelligit hanc nostram Germanorum apud Exteros militandi libertatem à cæteris libertatis speciebus tam quoad originem seu vim causandi, quam quoad effectum aliquo modo differre, quatenus scil. facilius ea, quæ peculiari privilegio ortum debent, convelluntur, quam quæ universis ac singulis Statibus aut toti Nationi quæsitæ sunt? Quamobrem non video, cur non idem cum Lynkero in Sect. II. de his quæ perperam Principum ac Statuum Imperii libertati accensentur, quis sentiat? Et sic Germanorum hæc libertas s. eximia militandi facultas quoad originem, subjectum, formam, divisionem & effectum sufficienter contra omnes, quæ ab aulo Politicis afferuntur, quæque variæ sunt ac plausibiles, dubitandi rationes à necessitate præscientiæ & requirendi Imperatoris consensus desumtas, probata ac defensa extat.

Non obstat Recess. Imperii de A. 1544. §. und wie woll wir neqve §. seqvens damit nun scil. daß sich nitemand in fremder Potentaten / oder anderer Herren Dienste begeben. Gegen solche ungehorsame un̄ Verbrechere soll mit ernstlicher Straffe/neml. Nachschickung ihrer Weiber und Kinder/auch Confiscirung ihrer Habe und Güter/ und wo Sie betreten werden/ gegen ihrer Person verfahren werden. Hoc enim edictum prohibitivum intelligendum est de Illustribus ac Nobilibus contra ipsum Imperatorem & Imperium exteris Regibus hostiliter militare præsumptibus, id quod disertis verbis allegatus proponit paragraphus. Nec obstat Imperatoris Caroli 5ti indifferens & generalis prohibitio, hæc enim postea inter gravamina quæ ab ordinibus Imperii tempore Caroli 5ti eo nomine fuerant
propo-

propofita à Mauritio Saxoniae Electore reperitur relata in literis ad ordines Imperii anno 1552. exaratis. It. Man klagt / daß der Teutschen Nation zu wieder Ihr Feinheit / die weil sie Gott Lob! vor anderen Nationen reich von Volk ist / genommen und verboten wird / keinen andern Herren zu dienen / und dasselbe geschehe Kays. Maj. Erb- landen / und Privat Kriegen halber / des sich die Teutsche Nation nicht achtet verpflichtet zu sein. &c. de eodem gravamine removendo tum quoq; temporis sollicitus legitur fuisse , Albertus Marchio Brandenburgicus in literis sequentibus formalibus ad Principes & Status Imperii datis. Also ist wieder unser der Teutschen alt Herkommen und Frey- heit / denen Ständen Teutscher Nation , von den Höchsten bis auff den Niedrigsten verboten sich ohne anderer Vor- wissen und Willen / auffer Teutschland oder sonst in einige anderer Potentaten Dienste zu begeben. Id quod Fride- ric. Hortlederus de caus. belli German. in tom. 1. Lib. 5. cap. 5. allegasse reperitur.

Porrò non obstat , quod Principes ac Nobiles Impe- rii, in Matriculam militarem relati , sint Milites , militari- busque gaudeant privilegiis, ut exinde dici mereantur des Kaysers Edle Knechte und Leibguardi nec non qf. Land- laste Teste Besoldo in Thesauro Practico: Quamvis enim, qui semel in matriculam militarem receptus est , juramen- tum quoq; militare præstitit extraneam militiam petere non possit , nisi de rupta Sacramenti fide acculari velit per Leg. 1. Princip. ff de Testam. militar: Neq; hostibus militare nisi priori vinculo solutus sit , liceat, uti tradit Bocerus de jure belli & duello. libr. 1. C. 50. 8. Intelligendum tamen illud modo est de proprie, non abusive sic dictis, militibus quales sunt Principes ac nobiles Imperii, qui improprie ratione auxilii bellici contra cujusvis hostiles machinati- ones tempore necessitatis in certo equitum ac peditum nume-

nume-

numero præstandi, milites dicuntur secundum Recess. Imp: zu Würzburg de Anno 1521. §. item haben wir Uns weiter ic. Und daß solche der Stände Hülffe mit Bolck zu Rosß und zu Fuß und nicht mit Gelde geschehen sollte.

Videbimus porro ad quid nobis varia ac multa, quæ ab Historicis tam antiquis quàm modernis passim adducuntur exempla, prodesse possint? Respondemus, quod quidem in definiendis causis non passim exemplis fit utendum sed cavendum, ne exempla temporibus vel negociis non convenientia degenerent in consuetudinem præyam; peculiare enim hoc virus habere exempla ut tyrannum aliquem introducant morem, graviter monet Imperator Justinianus in *L. Nemo Judex Cod. de Sent. & Interlocut: L. exemplo Cod. de probat; §. sin; Instit. de donat*: unde non exemplis sed legibus judicandum, neque tam spectandum quid Romæ factum est quam quod fieri debet, secundum Proculum in *leg. sed licet & c. ff. de Offic. Præfidis*. Varietas enim negociorum, quæ plura sunt, quam vocabula, non semper admittit imitationem exemplorum *L. natura enim ff. de præscriptis verbis*: Ut sic consequenter periculosum quoque sit Interpretum Responsis, vulgo quæ consilia nuncupantur, uti.

Sed ab exemplis admodum honestis & Reipubl. utilibus validum quin possit desumi argumentum ad juris existentis probationem, taliumque exemplorum imitationem, quoad eius fieri potest quis, sanæ mentis qui est, dubitaret? sic exemplum Appii Claudii, cæcus qui intererat Consiliis publicis, & in senatu severissimam tamen dixerat sententiam de Pyrrhi captivis; ad id proderat, ut melius esse censeretur, si magistratum jam acceptum retineret, ad novum autem aspirare penitus prohiberetur, *L. 1. §. secundo loco, ff. de Postuland.* Quid igitur

igitur impedit quò minus Germanorum exempla de libertate militandi apud Exteros ad juris existentis probationem, nec non ad eorum, quæ in eodem genere longo retrò tempore acciderunt, imitationem, profint? Sic Germanos alienas terras militiæ caulâ petiisse neque ullum in Europa bellum sine Germanis esse gestum tam antiquæ, quam modernæ varia per exempla tradunt historiæ; Item Lansius in consultatione pro German. nec non Althamerus de moribus Germanorum: Tacitus hanc bellandi libertatem ab antiquissimâ Germanorum Nobilitate ortum traxisse sequentibus testatur formalibus: *Si Civitas, in quâ sunt Nobiles, longa pace & otio torpeat, plerique Nobilium Adolescentium ultrò eas petunt Nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata Genti quies & facilius inter ancipitia clarescunt &c. Nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes, & vulnera mereri. Pigrum quinimo & iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare.* Id quod longo quoque retro tempore Commentarius Julii Cæsaris de bello Gallico lib. 6. hisce traditum exhibet verbis. *Atque, ubi quis ex Principibus, in concilio se dixit Ducem fore; qui sequi velit, profiteatur. Consurgunt ii, qui causam & hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atq; à multitudine collaudantur. Qui ex iis secuti non sunt in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque rerum iis postea fides derogatur.* Sic quoque exemplum Audonis Langobardorum Regis non sine effectu à Paulo Diacono in Longobardicis *libr. I Cap. 23. reperitur adductum*, qui à Regni sui proceribus rogatus, ut filius sicut in prælio ad parandam victoriam ipsius quæ virtute contigerat, patris comes fuisset, ita quoque in convivio

C

esset,

esset, respondisse fertur; non esse moris ut Regis filius cum Patre pranderet, nisi prius à Rege gentis exteræ arma suscepisset. Ast Seneca non solos Nobiles sed Germanos Gentem vocat belli avidam & in libr. de ira expresse suam de tota natione opinionem his exprimit verbis: *Germanis quid est animosius? Quid ad incursum acrisus?* Item Strabo libro 4. *Germani sunt omnes naturâ bellaces* Mamertinus non sine laude Nationi huic in natæ fortitudinis hisce formalibus Germanos alloquendo mentionem fecisse legitur apud *Andream Alhamerum in Commentario Tacit. de Moribus Germanorum fol. 225.* *Non estis in otiosa ac delitiis corrupta regione nati, sed in his, quas ad infatigabilem consuetudinem laboris & patientia usus imbuit, Semper enim hosti oppositi estis! Semper instructus Miles exercet terram; Omnis vita eorum est militia, quorum fœmine caterarum viris fortiores sunt.* Unde non soli nobilitati, sed toti nationi i. e. omnibus ac singulis, quibus hæc virtus fortitudo scil. dicitur innata, libertatis hujus originem deberi, ut scil. hujus virtutis ratione omnes Germani voce nobilitate intelligantur comprehensi, quis dubitaret? Nonne fideli ac pugnaci huic Germanicæ genti hanc ob causam exteri Reges vitam suam commisisse leguntur? Nonne Germanos inter initia principatus Tiberius habuit, quorum non Nobilium tantum, sed sine discrimine omnium, quâ nitebatur fortitudine sui exercitus seditionem sedasse dicitur? Nonne & alios Imperatores ad Galbam usque Germanos, qui multis experimentis fidelissimi reputabantur, corporis custodes habuisse, testatur Suetonius in Galba *Lib. 7. cap. 12 2.* Nec non post eum satellitum ex Germanis ad Caji Caligulæ custodiam lectorum cohortem, quam antea Galba dissolverat, iterum fuisse

fuisse receptam Josephus tradit *lib. 19. Historici*. Imo præter Romanos Asiaticos quoque Reges Germanos in custodes corporis allegisse; Herodemque in Judæa Germanos habuisse satellites idem Josephus scriptum reliquit *lib. 17. histor. c. 10.* Cujus historiæ, libro 29. bellorum Judaicorum cap. 1. quæ continentur porro quoque testantur Majores nostros bellaces non tantum prætorianos Imperatorum Romanorum fuisse milites, sed etiam sua sponte gloriæ ac honoris causa iis militatum abiisse; à Romanis quoque quatenus ceu homines corpore robusti primos impetus excipere consuevissent, exindeq; magnam victoriæ spem afferrent, sæpius ut auxiliatores donis dilectos & conscriptos fuisse. Quis itaque exinde dubitaret Germanos Imperatoribus Romanis durante adhuc Romana Republica honoris & gloriæ causa vigore consuetudinis libere militasse? Exemplo porro esse possunt Vitellius & Vespasianus, sub quibus Germani ingenti numero stipendia militando meruisse leguntur apud Egesippum de Hierosolymorum destruct. *libr. 6. c. 31.* argumentum quoque legitimum ad introductæ hujus consuetudinis existentiam probandam legitur desumptum ab exemplo Imperatoris Maximini, qui equites præcipue Germanos ceu auxiliares hostibus ut plurimum opposuisse fertur, eosdemque in omni periculo penes se imprimis contra Balbum suum in imperio competitorem habuisse, de quo videri potest Herodianus *lib. 7. in Maximin. fol. 167. & 180.* Sic & Galli Imperatoris exemplum militandi libertatem Germanorum probat, dum contra Æmilianum Germanicas legiones, magnum quæ ipsi videbantur alaturæ ad victoriam momentum ceu milites exercitati, qui trans Alpes tum temporis jam militaverant, col-

C 2

legit,

legit ac in Italiam teste rosimo *lib. 1. Histor. fol. 15.* deduxit sed quid est? quod de pluribus exemplis, quæ antiquæ historiæ suppeditant, adducendis sim sollicitus, cum & modernæ historiæ non pauca Juvenum Germanorū exempla legentibus exhibeant, sua sponte qui post conversam ad Christianam fidem Germaniam omnia Christianorum regna peregrinando obiisse dicuntur ex Intentione Regibus ac Principibus contra Infideles & Christiani Nominis hostes suppeditas ferendi: Et sic apud Henningem in Genealogicis extare videmus exemplum Hoieri Ruffi à Colore barbæ ita cognominati, qui Mansfeldiæ Comes & vir eximiæ erat fortitudinis, in ludis quoque equestribus exinde nemini secundus; hic in Britanniam innata fortitudine motus se contulisse, ac ibidem in aula Regi Arthuro *circa annum 542. assuisse fertur*, cujus posterii in Angliam eum secuti oppidum Mansfeld condidisse, ac familiam de Manzel in Anglia fortitudine & aliis virtutibus non minus claram & celebrem reliquisse dicuntur. Ita quoque de Henrico cognomine ferreo Holfatiæ Comite ex historiis Holfatiæ *Petersini lib. 2. constat*, quod anno 1340. Magno Suecorum Regi sua sponte contra Finnos, nec non Regi Angliæ contra Francos militaverit. Aliorum Principum ac statuum Imperii, qui vigore libertatis Germanicæ nationis exterorum Regum militiam petierunt, infinita, quæ modernæ historiæ suppeditant, exempla ut taceam, unum adhuc & alterum adducere sufficiet: & quidem exemplum Christophori Wirtenbergiæ Ducis, qui sub Francisco I. Gallorum Rege bonam ac fortem per aliquot annos militasse fertur militiam; nec non in bello civili *anno 1562. inter Guistos & Protestantes Regni Gallicæ* moto exempla Philippi Reingravii ac Rockendorffii sufficiens

ficens mihi erunt argumentum ad jus Germanorum libere apud Exteros militandi probandum; Hi enim teste Michaele Casparo Lundorp. *in Sleidan. Continuat. lib. 3. fol. infallor 415.* cum aliquot Equitum turmis peditumque cohortibus castra Guisorum in Galliam sunt secuti, uti econtra Wolfgangus Bipontinus una cum Wolfrado Mansfeldiæ Comite aliisque Imperii Nobilibus anno 1569. cum 7. equitum & 6. millibus peditum Henrico Navarrae Regi ac Condæo Principi Regni Successorii illis acquirendi causa in auxilium, eodem Lundorp. de Continuat. Histor. *lib. 9. fol. 1029.* teste, abierunt. Item Dux Saxon. Johannes Wilhelmus opera sua tam in togata, quam bellica militia Ferdinando Casari frustra oblata anno 1568. Henrico III. Galliae Regi cum tribus millibus & quadringentis Equitibus militatum abiit, ubi in castris Regis à Francisco Guisio, Regis legato, magnifice exceptus teste Davide Chytræo in *Chronic. Saxon. lib. 19. fol. 558* ad Regem deducebatur, cujus Principis literæ in Regis Gallici castris ad Electores & Principes Imperii, sub dato 27. Septemb. anno 1558. exaratae libertatis Germanicae mentionem faciunt, abitusque ad exterum Regem causam continent, quæ hisce in formulis leguntur adductæ apud Melchior. Golstad. in *Reich Handlungen Part. II. cap. 12. fol. 382.* Daß wir uns für allen Dingen zu Gemütthe geführt/und woll bedacht / welcher Gestalt die Stände und derselbe Unterthanen im Heil Reich Teutscher Nation vermöge ihrer alten löblichen un woller gebrachten Freyheit inwendig und aufferhalb des Reiches in Krieges. Sachen sich frey und ungehindert gebrauchen zu lassen gewohnt / befugt / und berechtiget gewesen. Deswegen wir aus eigenem Bewegnuß / auff zeitigen / langwierigen bey uns gehaltenen Raht / ohn einiges Zuthun / Scheitens / Anleitung oder Rahtgebung / als ein armer junger unterdrückter Fürst / welcher auff freyen Fuß steht / seine Besserung / und gedehit-

ches Aufnehmen Fürstlich rühmlich/und der Teutschen Na-
tion alten löblichen und Fürstlichen Libertät Freyheit/ und
Herkommen gemäß/ ganz gerne suchen und gewinnen wol-
len/uns bey der Königl. Majest. zu Franckreich in eine Dienste
und Krieges-Bestallung begeben und eingelassen haben. Et
sic vidimus quoque ad quid exempla hac in materia prodesse
possint: Diximus verò supra libertatem hanc Germanorum
neque per Imperatoris dissensum limitationem nisi contra
se ipsum & Imperium exteri Reges arma suscipiant, reci-
pere: Hinc quæritur? An Principes seu Nobiles Imperii
Romano-Germanici, si extero Regi jampridem adversus
æque exterum juramento militari fuerint adstricti, contra
Imperatorem & Imperium eidem quoque ad officiorum mi-
litarium continuationem teneantur? Affirmantes partim
ab ipso juramento rationes mutuuntur, cui potiore obli-
gandi vim tribuunt ratione objecti, DEI scilicet per quem ex-
tero Regi militans juravit, se scilicet strenuè jussa facturum,
neque unquam Regis Militiam deserturum esse, quam juri
naturali, quo Imperatori & Imperio tenetur; Et hæc ratio
aliquo modo prægnans hoc in casu esse videtur ad excu-
sandos extero Regi militantes à crimine læsæ Majestatis, cum
DEUS supra naturam, ante & super omnes sit diligendus
quem diligendorum ordinem sibi affirmantes secundum
l. 2 ff. de Just. & Jur. circa quæstionis hujus ventilationem
pro hac sua opinione asserenda, non sine ratione putant esse
observandum. Cui enim per juramentum quæritur obli-
gatio? Annon DEO? Per naturale vinculum cui? Nonne
homini? Quæ igitur potior? Nonne qua DEO obligamur? Si
DEO, annon rectius statuitur debitoris extero Regi militan-
tis munus præcipuum hoc esse, ut DEO reddatur suum ju-
ramentum & sic in concursu vinculum hoc ceu fortius
naturale vinculum superando ejusdem vim seu effectum non
modo

modo tollat, sed etiam præcisam specificè adimplendi inducat necessitatem, id quod etiam per contractus alias jure prohibitos probant, quibus juramentum vires addere, quosque convalidare ac omnem excludere pœnam tradit Authent. *Sacrament. puerum Cod. Si adversus Vendit. c. Si vero & c. cum contingat. X. de jur. jur.*

Partim 2 à juramenti effectu, quatenus milites, quam primum lecti, ac in matriculam recepti juramentum militare præstiterint, ad ipsam Reip. à qua aluntur, debitam obedientiam, ceu militiæ nervum, tenentur & hanc numeris suis ac signis jugiter inhærendo, remque publicam ab omni bellorum necessitate & periculo defendendo præstant, adeo, ut neque hanc ob necessitatem impune ab his signis inscio ac invito Duce illis discedere liceat, neque libero militum arbitrio intelligatur esse relictum, quomodo & quamdiu militare velint, cum juramento militari præstito periculum desertionis necessitatem quandam ulterius extero Regi inserviendi inducere videatur. Quis enim nescit? desertores inscio ac invito Duce belli tempore abeuntes aut recedentes, si deprehendantur, ut olim apud Romanos, ita & hodie capite puniri vel perpetua infamia notari? Si igitur militantium absentia necessaria apud Romanos justissimam restitutionis præbuerit causam: Quis dubitaret, quin apud Germanos Principes ac nobiles jure libertatis concessæ exteris Regibus militarem operam præstantes à feloniam & infidelitate excusentur, si ex improvise illi arma contra Imperatorem & imperium vertentes ad instantiam militibus Germanis discessus literas denegaverint? An non *l. 3. ff. de milit. nec non l. 2. Cod. de Desertor. lib. 11.* convenienter propriam salutem in concursu patriæ esse præferendam quibusdam cum Feudistis censeret? Accedit, quod inviti & coacti contra patriam militent, ita scilicet, ut hostium castra ceu

infor.

infortunati milites corporibus quidem sequantur, animo tamen patriæ adhæreant, quales casus Hug. Grot. *de jure belli libr. 3; cap. 11. n. 3.* non paucos, dignos tamen qui pertegantur recenset: Et hoc ampliatur procedere, sive legitima discessus literas denegandi subsit causa, sive non; Quamvis enim Duci belli milites exercitati non desint, neque secreta, quæ in perniciem hosti pandantur, subsint, tamen inscio vel invito Rege signa relinquere, stationem mutare, ceu per se turpe & infame intelligitur esse delictum omnijure prohibitum, quamvis à parte discessus literas denegantis nulla, subsit legitima causa, militiam enim, ad quam juramento se adstrinxit, non eo, quo decet modo, deserendo quis negaret contra leges & jura graviter peccari? Quis ab infamia, quæ exinde nomini illustri infertur maxima? Quis à pœna capitali, cujus hoc modo reus censeripotest, Principem seu nobilem militiam illegaliter sic deserentem excusando liberaret? Nonne ut olim apud Romanos secundum *l. 2. ff. de Captiv. & postlim. reversis l. 3. & pen. ff. de re milit.* ita & hodie honestæ ac nobilis familiæ decore ceu transfuga privaretur? & hoc eo magis, si adversus omnem hominem nemine excepto militiam ejus se promisisset esse secuturum, Uti & pro 3tio multo minus excusari meretur, quatenus Imperii constitutionibus non convenienter, sed absque literis dimissoriis abiit ohn ordentlichen Abscheid/der zu Augsburg auffgerichteten Policey de anno 1548. Tit. 24. wollen wir daß keiner des andern reisigen Knecht und andere Dienstboten annehmen solle/er zeige dann zuvor einen Passport oder Uhrkund an/daß er von seinem Herrn oder Edelmann mit Willen und ehlig abgeschieden sey/ganz entgegen. Prædicta quoque multis exemplis illustrata leguntur, quorum unicum de nobile Franconiæ à Sekendorff allegare contentus ero, Ille Regi Suecico sub Titulo Colonelli militans, non obstante, quod

quod inter alios Imperii nobiles, Cives ac subditos per mandata avocatoria Imperatoris Ferdinandi III. aliquoties domum fuerit revocatus, tamen cum Duce Suecico Banneroinscio, non sperans literas discessus se impetraturum esse, absque literis dimissoriis discessum meditaretur, conatum hunc, re patefacta, capitis poenâ luere coactus fuit. Si igitur Rex, cui Princeps seu nobilis Imperii ante aliquot annos contra æque externos Reges militaverat, cujusq; militiam nunquam se deserturum esse juraverat, ex improviseo contra Imperatorem ipsum & Imperiû arma verterit, literasq; discessus Principi vel nobili Imperii per mandata revocato denegaverit. Quis diceret Principem vel Nobilem si famæ & vitæ periculo motus in externi Regis militari officio & sic consequenter invitatus manserit, militiamque ejus secutus fuerit, hoc ipso criminis læsæ Majestatis reum, ejusque poenæ obnoxium factum esse? Cum militantem hoc in casu necessitas non voluntas in certaminum rabiem egerit, neque juratam qui fidem ob præiens vitæ & famæ periculum & sic justo metu deseruit, rebellis, rebellionisq; pæna dignus dici mereatur. Etsi nihil vitæ ac famæ periculo majus; Quis tali in periculo constitutû, cui nemo ulla lege se committere tenetur, adhuc tamen legi, quam necessitas non habet, obnoxium esse statueret? annon, quod in lege non est licitum, necessitas facit licitum? Quis igitur non potius à Crimine læsæ Majestatis ejusque poenâ illum crederet fore excusandum, qui non Cæsareæ Majestatis lædendæ causa (quod principaliter hoc circa crimen attendendû) sed urgente inferendæ violentiæ timore, justus qui dici meretur metus, in Regis externi, ceu antiqui Domini obligatione, quam jure libertatis Germanorum inierat, à quâ inscio ac invito Domino belli scilicet Duce ob præsentissimum vitæ ac famæ periculum recedere non licuit, permansit? Et quis exinde crederet, illum ad

D

exte-

exterum Regem ceu hostem eo se contulisse animo, ut redire nollet, eoque nomine graviore animadversione dignum esse? Crimen enim læsæ Majestatis extensivam de casu in casum non, benetamen strictissimam recipit interpretationem per ea, quæ reperiuntur allegata apud Dec. *Consil.* 8. Col. 3. *Andre de Jferna & Prepos. in cap. I §. It. si fidel. vers. turpit. Quibus mod. feud. amittitur, scilicet & D. D. communiter ad L. Quisquis Cod. ad Leg. Jul. Majest.* Hinc simili modo Vasallus hostibus Domini per territorium iter concedendo, annonam & arma præbendo feudum tantum amittit per l. 1. & 2. *Cod. qua res export. non deb. L. si quis barbaries 9. Cod. de re Milit. lib. 12.* de quo post plures Doctores late Schraderus de feudis *parte 9. Cap. 5. n. 3.* videri potest. Non verò si vi eminenti seu justo metu motus hostibus domini per territorium iter concesserit, & annonam præbuerit, per ea, quæ more suo eleganter & latè habet Schraderus d. tr. de Feudis p. 9. Quis denique Civem, nomen hostili qui dedit militiæ, ad periculum vel damnum, vitæ vel bonis quod immittet, præcavendum, ab omni excusandum esse pœna, dubitaret, cum infortunium eam secum fert necessitatem, qua ab omni lege omniq; quis eximatur pœna necesse est? Et hæc sunt rationes, quas affirmantes satis putant esse prægnantes ad opinionem suam ceu veriore commendamam. Sequuntur negantium rationes paucis ventilandæ, quarum prima ab autoritate juris reperitur desumpta: Hinc quamvis in genere quis extero Regi jurato promiserit fidelitatem, se scilicet ejus militiam nunquam deserturum, sed adversus omnem continuaturum esse hominem, ut sic prima fronte generali hac obligatione patria intelligatur comprehensa, tamen, cum quarumlibet humanarum functionum interpretatio ex autoritate juris sumenda est, generalis hæc voluntas omninò ad sensum juris restringenda est, quo nullo modo

modo

modo patria generali hac obligatione comprehensa, sed semper etiam tacite excepta intelligi debet: & quidem (1.) propter juris impossibilitatem, quatenus est inhonestum & contra bonos mores; Quid enim inhonestius est, quam extero Regi ad interitum Patriæ unde vitam quis habet, & qua nulla cognatio propior esse potest, se obligare? bonis exuere, unde quis ditatus & cujus beneficio tutus quis est, quæque omnium locorum dulcissima est, ut & paternæ pietati præferatur, eam in pericula conjicere? An igitur quis adhuc dubitaret cum Henningo Arnisæo de juribus majestatis *lib. 1. cap. 5. num. 13.* exinde concludere, quod nulla tam sancta fides domino & belli Duci promitti ac deberi possit, qua ea, quæ patriæ jure naturæ debetur, aboleatur adeo, ut neque si expressa jurantis voluntas refragetur, attendatur? Juramentum enim non debet esse iniquitatis vinculum, neque potest quis ea, quibus juris impossibilitas obstat, velle, licet jus mutari possit, & id, quod nunc impossibile est, postea possibile fit fieri, non enim secundum futuri temporis jus, sed secundum præsens æstimari debet obligatio, quæ impossibile quid continet *L. continuus §. cum quis ff. de Verb. Obl.* Quæ sententia pro secundo quoque confirmatur per consequentiam, si impossibilitatem facti respiciamus & argumentemur à nobismet ipsis, natura enim non est possibile, quod contra se ipsum quis velit obligari, charitas enim ordinata & bene instituta à se ipsa incipit, ut nullus homini se ipso sit charior, neque rem alienam prius, quam suam curare intendat; Hinc generali obligatione quis non crederet loquentis personam esse exceptam? Et quis censeretur consensisse in hæc, quæ sunt contra se ipsum? Et si respiciamus obligationem ab aliquo contra se ipsum initam; quis non illam, quia cum æquitate naturali & justitia pugnat, pro nullâ & absurdâ habendam esse statueret? Uti igitur quis

D 2

se

se contra se nulliter obligat, ut semper ejus persona intelligatur excepta, ita multo minus contra patriam, cujus pars est, se obligare poterit ad eam per hostilem invasionem laedendam, cum hoc modo censeretur in proprium saevire corpus: Unde si quis ipse, multo magis patria tali excepta obligatione intelligi debet. Secunda hujus sententiae ratio a legis & superioris auctoritate desumitur, utpote quae in omni fidelitatis Sacramento extero Regi a Vassallo Imperii Romano-Germanici praestando commendatur respicienda adeo ut belligera Germanorum nobilitas ad comparandum honorem & gloriam more a majoribus accepto exterorum Regum militiam sequi, eoque nomine militari juramento illis se adstringere minime possit, nisi salva legis & superioris auctoritate, uti haec ex antiquis moribus derivata Germanorum libertas omni juri convenienter hanc limitationem recipit, nec non expressis verbis limitata legitur in Recess. Imperii zu Speyer de anno 1570. §. demselben &c. 4. ibi haben wir uns erinnert/wie es im Heil. Reich Teutscher Nation von Alters her etc ne löbliche Gestalt Teutscher Freyheit umb Ehr und Ruhm mit ritterliche Thaten frembden Potentaten ohn alles Beleidigen des Vaterlandes/und dessen Gehörigen dienen. Item in Recess. de anno 1544. zu Speyr §. und wie wohl. 72. Item in Recess. Imperii de anno 1580. §. Ferner obwohl im Heil. Römischen Reich etc. 31. Id quod expressis quoque verbis capitulationis Leopoldi articul. 16, nec non in Josephi art. 15. denuo repetitis confirmatur. Es soll jedoch auch keinem Reichs-Stande oder Eingeseßen verboten seyn sich bey Außwertigen in Krieges-Dienste zu begeben und einzulassen/da es nicht wieder das Reich/oder einen Stand desselben angesehen. Hinc uti quoties in publico aliquid fieri permittitur, ita permitti oportet, ut sine injuria cujusque

jusque fiat secundum l. 2. §. merito ait Prataz. & §. si quis
 à Principe ff. ne quid in loco publico: Ita multo magis Ger-
 manorum ex antiquis moribus derivata libertas sine Impe-
 ratoris & Imperii injuriâ Constitutionibus sive Recessibus
 Imperii intelligi debet probata ac permiffa: Utcunqve i-
 gitur Vasallus simpliciter juraverit, semper tamen Impe-
 ratoris sive superioris & antiquioris Domini persona ex-
 cepta intelligi debet, ut militaria, ad quæ extero Regi
 ceu posteriori Domino vi juramenti tenetur servitia, con-
 tra antiquiorem nunquam præstare queat, nisi ab exter-
 no rege prius feudum possideat, tunc enim in concursu
 ceu antiquior semper præfertur; qui enim prior est tem-
 pore, potior est jure; Et sic Imperator Fridericus II. jura-
 menti de jure Ecclesiæ defendendo admonitus Pontifici
 Gregorio Sardiniam repetenti respondisse legitur, primum
 Sacramentum pro tuendis Imperii juribus se præstitisse, ad
 ejusque observantiam eo magis se obligari, quatenus pri-
 oritatem illam ordo, quem ipsa rei gerendæ qualitas sua-
 debat observandum, præciperet. Hinc Germaniam, in
 quâ quis natus est & educatus quis negaret se habere pa-
 triam? Si patriam, quis negaret eam se habere antiquio-
 rem Dominum? Nonne prius, quatenus ipsa naturâ in e-
 am deductus est, inter cives cooptatus esse videri potest,
 quam lucem vidit? Nonne civem ipsa nativitas protinus
 ab initio ad omnem patriæ utilitatem obligare cœpit?
 Quis igitur Patriæ prius quem esse obligatum ne-
 garet, quam domino cui postea demum, cum beneficium
 vel stipendium acciperet, obligari cœpit? Num postero-
 re juramento patriæ, cui prius juramentum ceu antiqui-
 ori domino ratione ordinis necessarii debetur præjudicare,
 & sic in perniciem natalis soli se vel bonâ conscia vel ul-
 lo juris prætextu extero regi obligare potest cum jura-
 men-

mentum ab ipso jure & sic per se illicita, quæ juramento nullo comprehendi possunt modo, trahatur? Nonne potius tali in casu extero regi militans fidelitatis juramento præstito solutus est? omnis enim promissio sub legitima hæc conditione tacite intelligitur facta, si cui de jure antea obligatus non sit: Et hæc de utriusque partis affirmantium scil. & negantium rationibus apparenter sibi contrariis sufficiunt. Ast quin per declarationem quandam conciliari possint nullus dubito. Quis enim pro i. tam ingratus, tam impius, tamque nullius foret humanitatis, ut, si jure libertatis Germanicæ exteris regibus contra æque exteros juramento militare astrictus aliquot per annos militaverit, Rex autem, cujus sub signis militat, ex improvise contra Imperatorem & Imperium ceu istius patriam arma sumserit, juratam illam & adversus exteros tantum restrictam fidem, contra conscientiam sine ulla ratione ad exteri regis militiam hoc in casu extenderet, ubi arma contra patriam vertit? Nonne potius congenitus erga Patriam amor optimo jure suaderet arma deponere, militiae resignare, ac discessus diploma ad præcavendam conscientiae læsionem, & juris naturalis violationem petere, quam in eam, ejusque salutem, omni quæ pietate & necessitudine est antiquior, tam illegaliter sævire? Æquitas enim seu naturalis ratio Patriæ salutem immutabiliter nobis vult esse commendatam adversus omnem hominem, nemine neque extero Rege, cui fidem juravimus, excluso. His itaque sum contentus, ut quoad rationem primam & secundam, negativam sententiam immutabiliter veram esse statuam, & pro secundo sine distinctione procedere, sive Germani exteris Regibus militantes per edicta publica advocati inque auxilium revocati fuerint, sive non. Utroque enim casu illud, quo Patriæ obligamur, vincu-

vincu-

vinculum indissolubile, naturæque jure inviolabile esse ac permanere, nemo, sanæ mentis qui est, negabit. Neque proptio negativa hæc sententia distinctionem admittit, sed procedit sive Princeps vel civis Imperatori & Imperio vel alii principi fidelitatem jurato promiserit, sive non quales in Imperio nostro sunt Principes ac Nobiles ultra geniti, quorum frater jure primo genituræ totum possidet principatum, ratione cujus debito tamen tempore Imperatori & Imperio fidem jurare tenentur. Neq; obsta si prius extero Regi, quam Imperatori militari se juramento ad fidelitatem & obedientiam adstrinxerit, juramentum enim Imperatori ac Principi Imperii præstitum longe sanctius est & arctius obligat, quam quo extero Regi se obligavit; Cum ejusmodi juramentum indissolubili & immutabili, quo quis Patriæ obligatur, vinculo omnia etiam tempore priora vincit ac tollit jura: Hinc contra omnem mundi hominem nullo neq; extraneo Rege excepto, Princeps quoad Personam & bona sua immutabiliter Imperio ceu patriæ suæ subiectus nullam extraneo regi debitam fidelitatem prætere, vel sub ullius juris prætextu, quo ab obedientiâ, inviolabiliter patriæ quæ debetur, abire liceat, contra eam sibi reservare potest. Neque præterea possibile esse scribit Arnilæus de juribus Majest. *Lib. I. cap. 5. n. 13* ut vi extero regi juratæ fidei, patriæ jus auferatur & jurisdictio, quam in cives eorumque bona habet. Et hæc satis prægnantes sunt rationes, quæ sufficienter negativam sententiam in jure esse fundatam probant, nullo scil. jure Principem sive nobilem Imperii, extero regi jure libertatis germanicæ militantem, contra Patriam ejusdem castra sequi posse, quamvis juramento militari contra omnem mundi hominem, nullo excepto se adstrinxerit; Et hoc quoque procedit, si actualiter nobilis sive civis Imperii fidem Imperato-

perato-

peratori jurato non promiserit, nam & hoc in casu juramentum militare externo regi præstitum naturalem erga patriam & Imperatorem obligationem longè, cum nobiscum nata sit, antiquiorem & fortiorem non tollere, nemo qui sanæ mentis est, negabit, nisi id, quod jure naturæ immutabiliter præcipitur, sine respectu ad reipubl. patriæ salutem posthabita æquitatis ratione delere velit, & juramentum ceu iniquitatis vinculum introducere, quo quid absurdius foret? Quid magis cum æquitate naturali pugnaret? Quid magis honestati foret contrarium, quam quod rationem, qua probetur, non habet, nec communibus principis respondet? Bonorum enim virorum mentes talia aspiciuntur & respuunt, humanæ quæ societati non conveniunt, neque ulla ratione per communem sensum admitti possunt. Extero regi contra æque externos hostes vigore libertatis militare, in Constitutionibus Imperii Principibus & nobilibus quidem conceditur, eoque nomine juramento militari se obstringere, sed Patriam excepta. Nonne igitur quis præterea contra Imperii jura fidem externo regi juratam ad casum incognitum & inopinatum si Rex ille ex improviso postea arma contra patriam moverit, extendendo nomen DEI in vanum assumfisse intelligeretur? Nonne DEO & patriæ injuria facta, ejusque Majestas, dum juramentum ad illicita trahitur, intelligitur spreta? Uti enim oratio ex piis cordis motibus, ita & juramentum ex vera DEI agnitione, timore, fide & dilectione de iis, quæ sunt de genere per: & promissorum, in causa præsentis, non de per se illicitis, incognitis sive inopinatis in injuriam & præjudicium tertii fieri debet. Quoad novam igitur, futuram scilicet incognitam & inopinatam honestam tamen causam uti juramentum nullam inducit obligationem, ita multo minus ad ea, quæ per se sunt illicita & nullo modo observari multo minus

nus

nus juramento comprehendi possunt, in casu mutati cau-
sæ status extendendum est, & hoc sine discrimine verum esse
creditur, siue quis antea sciverit emerfuram esse novam,
causam siue non; talia enim, per se quæ sunt illicita, ipso
jure semper sunt exclusa; Hinc, si nobilis vel civis Imperii
fidem simpliciter extero regi juratam adversus æque exte-
ros reges dederit, in casu belli adversus patriam ex im-
provviso postea suscepti ejusdem militiam vi præstiti jura-
menti sequi non tenetur, cum nullo modo id ipsum illo
potest intelligi esse comprehensum, quamvis simpliciter fi-
dem juraverit & bellum futurum sciverit; Et hæc jura-
menti militaris extero regi præstiti interpretatio juri tam
divino quam humano, Recessib. Imperii quod continetur,
est congrua. Ubi Recess. Imper. de anno 1581. §. 31. habet *Ohn
alles Beleidigen / so wol unser / also auch des Heil. Reichs/
dessen angehörigen Ständen / Unterthanen und Schirms-
Berwandten / quæ & prolixis verbis continentur in R. J. de
anno 1641. §. 81. 82. 83. Dieses aber ist keinesweges zu verant-
worten / daß sich Teutsche zu Unterdrückung ihres eigenen
Vaterlandes frembden Potentaten und Nationen / mit der-
gleichen ohn zulässigen Hülffe beypflichtig machen / und das-
selbige zu betrüben die Mittel selbst an die Hand geben. Ubi
extensio illa ceu absurda & naturali juri inconveniens, no-
minatim legitur prohibita & quidem ad præcavendam ab-
surdam, quæ exinde sequeretur, generalitatem & huma-
nam temeritatem. Hinc pro quarto vigore Reformationis
politice de anno 1548. tit. 24. (Ibi: *Wollen wir daß keiner
des andern reisigen Knecht / und andern Dienstboten anneh-
men soll / er zeige dann zuvor ein Passport oder Urkund an /
daß er von seinem Herrn oder Edelmann mit Willen und
ehrllich abgeschrieben sey.*) de necessitate quoque est, ut, qui
Misterium suum alteri certis in causis locavit, ob noviter
intervenientem causam, contra conscientiam & naturalem
E obligat.*

obligationem, honestatem scil. bonos mores, leges & constitutiones Imperii, id ipsum continuare nequeat, sed discessus litteras petat, eoq; nomine meritò dimittatur, neq; discessus literæ denegari queant. Interim tamen reperiuntur in contrarium exempla, quorum unicum supra jam adductum de nobile Franconiæ à Sekendorff hoc loco repetere sufficiet, qui, cum ab Imperatore Ferdinand III. post pacem Pragensem domum revocatus, literas tales se impetraturum esse dubitaret, eaq; propter abitum inscio ac invito duce suecico Bannerò meditarètur, conatum tamen, re patefacta, capitis pœnâ luere cogebatur. Unde si neq; spes impetrandi abitus literas subest, neq; inscio & invito belli duce salva vitâ & famâ abire licet; Quis dubitaret, quin hoc in casu nobilis vel civis hosti contra alium militans postea in castris contra suos sive patriam morari coactus ab omni mereatur excusari pœna? Nonne Vasallus feudum sive ad certum servitium datum, sive indeterminatè in favorem sibi concessum Domino invito refutare potest adeò ut neque juramento impediatur? Et tamen intempestivè facta refutatio si scil. Dominus in procinctu belli constitutus operatio Vasalli egeat, vel aliæ subsint causæ, quæ dimittendo nocent, nullius censetur esse momenti; Cum verò, qui ex teri Regis castra contra patriam famæ ac vitæ periculo ita se versari præsumatur, nisi probato metu diversum appareat, *L. in Cod. de his quæ in metusve causâ*, contraria probatione, illud scil. hostili animo non fuisse factum ab illa suspitione se libera tenetur. Et hæc sufficienter ostendunt vera esse, quæ pro affirmativa sententia eo nomine in casu excepto ad conciliationem diversarum sententiarum sunt adducta. Ite nunc & sermocinamini hanc Germanorum libertatem ex antiquitate derivatam non admittere quoad Patriam limitationem, cui naturali tenetur vinculo, ubi Domino juramenti vinculo obstrictus est, cum patria jura

juramento Vasalli tacite intelligatur excepta! demonstrare longe fortius esse juramenti vinculum naturali obligatione, ubi fidelitatis juramentum extero regi intelligitur præstitum salvâ patriæ debitâ naturali obligatione, nec inhonesti quicquam continere potest? Nonne obligatio contra se ipsum facta omni jure pro nulla habetur, quia justitiæ ac æquitati non convenit? Nonne igitur multo magis pro nulla habenda est, contra patriam quæ contrahitur obligatio, cum hoc modo in proprium corpus seu Patriam, cujus pars quis est, sævire censeatur? Prætendite jus prioritatis, ubi patria antiquiorem dominum quis non habet! Nonne prius quis inter Cives se cooptatum, quam lucem vidit? Prætendite necessitatem, cum nulla necessitas nos cogere possit in perniciem publicam & literæ discessus tempestive petitæ obtineri quin possint nemo dubitet! Longius hæc à Germanorum ex antiquitate derivata Legibusque Imperii approbata libertate absunt, quia expresse approbatio fit sub limitatione, ne contra Patriam, ejusque membra, quid vigore libertatis contrahatur. Prætendite juramentum, quo extero Regi obstricti estis, cum ipso jure fidelitatis juramento tempore suscepti belli contra patriam vestram soluti estis! Mutate potius animum in melius & sanctius de hac Germanorum libertate opinamini! Quamvis infortunatis militibus, famæ ac vitæ periculo qui castra hostium contra patriam pessimo modernæ militiæ more sequi coguntur ceu in casu qui excipitur condonandum esse statuamus. Sed cum voto concludendum. O Æterne DEUS! Nos, tui qui sumus Vasalli & homines ligii, omnia nostra, quibus ad tempus pro divina tua voluntate & beneplacito ad corporis & animæ sustentationem, ne pereamus, frui conceditur, bona tam Spiritualia quam corporalia gratiosissimæ tuæ benignitatis

tati soli ferimus accepta, uti & omnia reliqua à te solo & non alio, quem eodem jure habere nequimus, expectare necesse habemus, hanc petimus gratiam, tibi ut soli vivamus in sanctitate & justitia, ne bonorum proprietates tibi ceu vero Domino sit inutilis, neque vita nostra infructuosa? Simus memores gratiæ fœderalis baptismi à DEO ter Optimo & Maximo nobis collatæ, & fidei, ubi solenniter aqua & Spiritu DEI homines facti promissimus, sub Ducis nostri Christi JESU signo nos fideliter toto vitæ tempore contra omnes ejusdem & nostros hostes, imprimis contra infensissimum totius humani generis hostem ejusque asseclas & socios infernales, militaturos esse. Cum verò proh dolor! in medio vitæ cursu per hostis hujus infernalis astutiam & sævitiam sæpe, quod Vasallo ut Milite Christiano indignum est, contingit, Domini ut gratia tollatur, feloniam committatur, nosque idcirco ceu ingratiissimi ob non præstitam fidem devestiri mereamur, toties de renovatione investituræ prævia serâ cordis contritione à DEO ter Optimo & Maximo impetranda sumus solliciti, ut hoc modo in pristinum Vasallagii jus, postlimini jure quasi restituamur. Hisce orationis abrumpo filum, & quæ non satis ordinatè ac sufficienter de libertate Germanorum adduci potuerunt, in aliud reservabo tempus, quo latius deduci poterunt. Sed quis ego, qui admissus fuerim ad hanc de exteris Regibus militandi Germanorum libertate orationem habendam? Quæ mea tenuitas ut huic benevolentiam affurrexerim! Quæ exilitas, ut æstimari merear, qui dignus sit, ut in tanta honoratissimorum frequentia de hac Germanicæ Nationi libertate differens audiatur! Pro his quod rependam præter grates & memoris mentis munera nihil habeo; Interim tamen omnem Magnificentiam vestram, optimo quam jure debeo, observanti-

vantiam; **Excellentiis** vestris, quæ debeo studia, propensique animi voluntatem in quantum his per **DEI** ter **Optimi & Maximi** gratiam in sui nominis gloriam frui concedetur, polliceor: Possideatis quæso hosce meos affectus, & quantum vobis in amicum licet experiamini! Muneri profitendi, quod hætenus per **DEI** gratiam sustinui, assiduitate exornando minime deero, id quod non potero à vestris **Excellentiis** suppleturus: Feliciter inventa, subtiliter cogitata, accurate annotata, non labori, non industriæ meæ, sed vestræ laudi & existimationi sum attributurus, ut sic nihil mihi adscribatur, vobis nihil detrahatur vobisque accepti, mihi expensi ratio constet. Vos verò **Juvenes** dilectissimi, tuque cupida legum juvenus accipite amicum vestrum unice qui id intendit, ut amorem, quem ex dulcissima quorundam conversatione hausit incredibilem, aliquo beneficii genere agnoscere possit. Totus qui hic sum vester sum: Vestris studiis militabo, vestra commoda pro nosse & posse promovebo. Adeste quotidie, & mutuum vestrum amorem frequenti audientia recompensate! Latius deducturus, quæ non satis ordinate ac sufficienter de **Germanorum** exteris **Regnis & Nationibus** militandi libertate hac in **Oratione** sunt adducta, operam dabo, ut reciprocae diligentiae nemini suboriatur tædium. **DEUS** ter **Optimus & Maximus** verus ac proprietarius **Provinciae nostræ Dominus** protegat eandem ejusdemque **Serenissimum ac Celsissimum Principem ac Dominum, DOMINUM FRIDERICUM WILHELMUM**, **Academiae nostræ Patronum Magnificentissimum, Dominum nostrum Clementissimum**, una cum **Serenissima Principe Conjuge Domina nostra Clementissima, Ejusdemque benedicat Regimini**, Protegat quoque **Prænobilissimum**
E 3 & Am-

& Ampliffimum hujus Urbis Senatum Academiae hujus
 Compatronum ! Protegat Academiam hanc, ab inter-
 itu eam vindicando! Dispenset vitam Dominorum Profes-
 sorum inferum tempus, futuris ut laboribus superesse,
 possint ! Studiosorum numerum adaugeat ! Omnium con-
 filia, cogitata ac mentes ad nominis sui gloriam, Patriae
 salutem, privatum singulorum incrementum dirigat!
 Sic justitia & pax se invicem exosculabuntur ! Sic domi-
 nis Professoribus suus honor, discipulis sua munera pa-
 tebunt. Sic juvenes illustres ac nobiles Provinciae no-
 strae jure libertatis Germanicae exteris Nationibus contra
 aequae exteras militantes earundem castra contra
 Imperium & Patriam non sequentur, nisi in castris con-
 tra Imperium & Imperatorem inviti morari cogantur,
 quia salva vita & fama ab exercitu hostis recedere ne-
 queunt, quo in casu ab omni tamen poena excusatio-
 nem merentur, si illud proba-

verint.

Dixi.

SOLI DEO GLORIA!

